17 Sel.

DE VERTIGINE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM
ANNUENTIBUS MAGNIFICO DOMINO RECTORE
PERILLUSTR. FACULTATIS MEDICAE P. DIRECTORE
SPECTABILI DOMINO DECANO
AC CLARISSIMIS D. D. PROFESSORIBUS

AUSPICE
D.re FRANCISCO FLARER
OPHTHALMOLOGIAE P. O.

PRO DOCTORIS MEDICINAE LAUREA RITE OBTINENDA
IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE TICINENSI
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

NOB. QUADRIO VINCENTIUS
EX CLURO
IN PROVINCIA VALTELLINENSI
Chirurgiae Doctor, Artis Obstetriciae et Oculisticae Magister.

In theses adnexas disputabitur in Universitatis aedibus
MENSE AUGUSTI MDCCCXXXIV.

Ticini Regii
EX TYPOGRAPHIA BIZZONI
I. R. Universitatis Typograph.

455

Digitized by Google

OPTIMO, DILECTISSIMOQUE

FRATRI MAURITIO

HOC MEUM PRIMUM TENTAMEN

QUOD

MEDICINAE LAUREAM ASSECUTURUS

PUBLICI JURIS REDDEBAM

UTI

DULCE PIGNUS AMORIS

GRATO ANIMOQUE INGENUO

DICABAM.

Digitized by Google

458

Digitized by Google

DE VERTIGINE.

Communissimam hominum non solum, sed aliorum quoque animalium affectionem constituit *vertigo:* ipsa enim praeter quod *morbum per se* non infrequenter sistit, saepissime autem innumeras ferme ac diversi generis aegritudines tanquam *symptoma* comitatur. Etymon vocis a latino *vertendo* derivandum videtur: a *Swedianus* hic morbus *ilingus* nuncupatur: ab aliis vero dicitur *dinos*, quae vox a graecis deprompta saltum in *gyrum* designat: inde quoque *scotodinos*, *scotodinia*, *scotomia*, *scotoma* veniunt, quibus nominibus vertigo tenebricosa distingui solet, cum apud graecos *skotos* tenebras indicet. Italis vocatur *capogiro*.

Priscis jam medicis vertigo innotuit cum de illa scripserint *Galenus*, *Coelius Aurelianus*, *Ontasius*, *Avicenna*, *Forestus*, *Boerhaave*, *Willis*, *Ettmuller*, *Ludwigius*, *Platnerus*, et praecipue *Herzius*, aliique permulti tum ex antiquis, tum ex neotericis medicinae auctoribus.

Non ab omnibus tamen ad eandem morborum classem vertigo demandatur, neque ideo semper inter se conveniunt variae, quae de ipsa habentur, definitiones.

Digitized by Google

Nonnulli adnumerant vertiginem morbis *motuum imminutorum.* A *Ludwigio* et *Platnero* soporosis affectibus ea accensetur : a *Sauvagesio* ad classem *vesaniarum*, et speciatim ad ordinem *hallucinationum* relegatur. *Burserius*, quin speciali morborum classi vertiginem adscribat, de ea tamen post epilepsiam verba facit; nam, ut ille monet, veluti levissimus ejus gradus videtur, affinitatemque cum ea aliquam praesefert. *Petrus Frank* ad primum *nevrosium* ordinem, et quidem ad *debilitates* ipsam demandat. Vix post tractatum de *vesaniis*, illud sequitur de vertigine in libris *Josephi Frank.* Apud *Hildenbrand Franciscum* inter *pseudo-erethisias* hanc affectionem numeratam invenimus: et *Hildenbrand Valentinus* vertiginem qua morbum sensus communis declarat: a clinico vero Prof. *Corneliani* inter sensuum, et praesertim visus, morbosa symptomata in Pathologiae generalis Institutionibus ab illo editis vertigo recensetur.

Est autem definitio, quam de vertigine *Ludwigius* et *Platnerus* tradiderunt: *subitanea sensuum perturbatio, et obnubilatio, quae potissimum in organo visus et auditus percipitur.*

Juxta *Sauvagesium* vertigo est *hallucinatio, qua objecta licet quiescentia e loco moveri, vel in gyrum versari nobis videntur.*

Vertigo *Burserio* est *affectio, in qua homo subito in gyrum agi, vel res extra ipsum positae repente, etsi vere quiescant, circumduci?*

aut saltem moveri videntur, vel utrumque simul apparet, sensibus et motibus aliquantum turbatis, et corpore ipso veluti nutante.

Petrus Frank hanc habet definitionem: *illusoria, angens, et subita vel sui ipsius, vel objectorum externorum, etsi quiescentium, aut ratione haud insolita motorum, rotatio, et corporis proprii praeceps in casum nutatio.*

Perceptio erronea, transitoria, qua objecta, licet quiescentia e loco, et praesertim in gyros moveri videntur cum metu lapsus, aut lapsu ipso, saepeque tinnitu aurium, et visus obfuscatione, vertigo dicitur a *Josepho Frank.*

Juxta *Hildenbrandium Valentinum* vertigo consistit in fallaci sensu ac si objecta immobilia nos circumdantia, moveantur. Est igitur apparens motitatio objectorum extra nos positorum quiescentium.

Ex quibus vertiginem definiendi modis jam patet pro simplici visionis affectu ipsa habenda haud esse, cum clausis etiam oculis, vel in visu orbatis aeque contingat, verum praeter visum in hoc morbo, et auditum et tactum et sensus interiores et motum ipsum plus minusve turbatos esse; quin tamen sensus et motus eadem semper patiantur ratione unde diversi exsurgunt morbi gradus.

Symptomata.

Phaenomenis, quae in multis vertiginem prae-

Digitized by Google

402

cedunt, *Frank* monente, accensentur: capitis dolor, tinnitus, susurrus aurium, visus obnubilatio, aut festucarum, scintillarum ante oculos volitantium, adparitio, constrictionis ad jugulum anterius sensatio, insolita ingenii tarditas, somnolentia, urinae aquosae, pedumque frigus.

Non paucos tamen etiam ullis sine prodromis morbus afficit. Sub ejusdem vero insultu, externa objecta, licet plane quiescant, vel in gyrum, vel deorsum, vel sursum, moveri videntur: viridi aut caeruleo colore tincta, vel quodam velo tecta, vel duplicia aut dimidiata apparent: lingua titubans fit: aures tinnitum patiuntur: haud raro nausea, vel ipse evolvitur vomitus. Si in lecto jaceat aeger, lectum ipsum retrorsum, sinistrorsum, vel dextrorsum praeceps ruere, vel inclinari credit; si pedibus insistat, ob deletam musculorum se se contrahendi facultatem, lapsum metuit, vacillat, vel reapse cadit: pulsus modo celeres, modo ferme naturales, modo etiam tardiores evadunt: sui conscientiam, ob maximam saltem partem, vertiginosi servare solent: nonnulli tamen mentis constantia amissa ac pulsu quasi silente, pedetentim in veram labuntur lipothymiam: neque deficiunt exempla subortae apoplexiae, paralyseos, aut epilepsiae. Rarioribus in casibus vertigo diutius continuat: interdum imo nonnisi ad pauca protrahitur horae momenta: non

Digitized by Google

tamen infrequens est, quod pluries in die recurrat, aut quod epochis plane determinatis aegros corripiat, vere praesertim et autumno. Solent autem, illa etiamsi evanida, quaedam remanere morbosa symptomata, uti levis cephalea, somnolentia, mentis confusio, ineptitudo ad agendum, quae nonnisi sensim sensimque dissipantur.

Divisiones.

Cum vero non idem phaenomenornm apparatus in omnibus vertiginosis occurrat: sic pro illorum diversitate tres speciales vertiginis varietates passim statuuntur, quaeque sunt: vertigo *simplex*, vertigo *tenebricosa*, et vertigo *caduca*.

Simplex dicitur cum externa objecta, aut corpus nostrum, vel utraque simul circumagi, ac nutare dumtaxat videntur, quin tamen exteriora quo ad formam et colorem mutata appareant.

Vertigo, *tenebricosa*, *caliginosa*, *scotodinia*, *scotomia*, *scotodinos*, *scotoma* vocatur, quando praeter apparentem objectorum rotationem et motum, visus simul obscuratur, vel plane amittitur, vel corpora omnia externa nigra esse videntur, vel oculi tenebris, aut caligine obfuscantur. Pulcherrimum vertiginis caliginosae exemplum in Ticinensi Clinico Instituto feliciter

14 64

pertractavit hoc ipso anno eximius Professor *Corneliani.*

Caduca demum vertigo dici meretur, si ad tantam perveniat intensitatem, ut infirmi, sensibus orbati, ni immobile quodam corpus manibus apprehendant, humi prosternantur: hanc vertiginis speciem ipsi epilepsiae jam proxime accedere medici quidam autumant.

Praeter tres supra expositos morbi gradus, plures alii extant intermedii, quos omnes tamen peculiari designare nomine, nullius esset in praxi medica utilitatis..

Vertiginis distinctio in *vertiginem cerebri*, *vertiginem visus*, *vertiginem tactus*, et *vertiginem auditus* potiorum symptomatum indoli et ipsa innititur, quamobrem parvi evadit momenti.

Valde praestantior autem est vertiginis partitio, quae ab originis sede depromitur, nimirum in *idiopathicam*, et *symptomaticam*: prima *morbum per se* constituit et ipso in capite suam agnoscit caussam: secunda nonnisi secundarium sistit effectum morbi aliam partem afficientis, estque in praxi frequentissima, ob magnum, quem cerebrum tenet cum reliquis organis nexum.

Ex caussarum porro varietate aliae desumuntur divisiones nequidem spernendae. Quaevis enim vertigo tum idiopathica, tum symptomatica modo ex *universali diathesi hypersthenica*, vel *asthenica* proficiscitur, modo ex *vitio*

Digitized by Google

locali sustinetur: sic vitia localia vertiginem idiopathicam producentia haud raro relinquuntur a morbis capitis praegressis, non bene solutis, ab encephalitide, apoplexia, hydrocephalo. Distinguitur etiam vertigo ab externis violentiis, ictu, vulnere, *vertigo traumatica:* a sanguine, *vertigo inflammatoria*, sive ex *plethora;* a nimia nervorum sensibilitate, ab hypochondriis, ab utero, *vertigo nervosa*, *hypochondriaca*, *hysterica:* a stomacho, *vertigo stomachica Sauvagesii*, a venenis, ab ebrietate, a sero, a vasorum vacuitate, et keneangeja, et sic porro. Mentio hic pariter injicienda est de vertigine *rheumatica*, *catarrhali*, *mercuriali*, *plicosa*, sicuti *Frank* designavit: de *vertigine arthritica* quam *Musgrave*, *Stoll*, *Bang*, *Barthez* descripserunt: de *vertigine scorbutica* a *Willis* depicta, deque *venerea* quam *Astruc* distinxit.

Complicata dicitur ea vertigo quae cum aliis morbis consociatur.

Periodica si temporibus statutis revertitur: uti illa quae post pastum homines invadit, aut mulieres menstruantes corripit. Apud Ephemerides naturae curiosorum Germanicae vertigo quaedam caduca recordatur, quae periodicae solis sub occasu foeminam villicam invadebat, sole vero evanescente, et ipsa desinebat.

Criticam vertiginem, et quidem fausto contingentem omine, *Petrus Frank* nonnisi in mor-

4-61

bo, plerumque acuto, et per epistaxin judicato, observavisse fatetur.

Epidemica demum ratione hujusmodi affectionem grassari posse ab illa vertigine confirmatum videtur quae Gallis regnavit algidissima, ac diuturna hyeme anni 1573.

Causae et Nosogenia.

Ut vertiginis caussas recto quodam ordine inquirere valeamus, eas in primis dirimere praestat, sicuti cum plerisque fieri solet morbis, in *remotas* et *proximas*: quarum primae in *disponentes* et *excitantes* iterum partiri debent.

Causae disponentes.

Proclivitatem in vertiginem fovent: sexus foemineus, aetas provecta quemadmodum *Hippocrates* ipse jam monuit, temperamentum sanguineum, cibi nimis nutrientes, potus spirituosi, abusus vini, vita nimis sedentaria, litterarum assidua cultura, mos quorundam diutius de nocte perlegendi dum jacent in lecto, status universalis debilitatis, mobilitas cerebralis, haemorrhoides suppressae, hysterimus, hypochondriasis: in subjectis enim qui hisce affectionibus obnoxii sunt abdominis viscera male affecta esse solent, et sanguinis cursus in illis lente peragitur, inde inaequalis fit illius distributio, atque ad caput copiosius affluit: vel per

Digitized by Google

ramos paris vagi irritatio ad encephalum sympathice diffunditur.

Caussae excitantes vertiginis idiopathicae.

Inter momenta occasionalia, nonnulla vertiginem *idiopathicam*, altera *symptomaticam* excitare valent. Primis accensentur: violentiae externae ad caput directae, lapsus, ictus, percussiones, contusiones, vulnera; sternutatio vehemens et frequens, encephalitis, cranii caries, exostosis, diversa vitia cerebri localia, hydrops in ventriculis cerebralibus, *ecchinurus* in iisdem, ossificationes arteriarum capitis, abscessus ad aures, decubitus in lecto nimis diuturnus, somnus admodum protractus, praepeditus e capite sanguinis refluxus, epistaxis imminens, insolatio, frigus, potissimum in calvis, repentinae atmosphaerae mutationes, constitutiones aquilonares utpote novimus ab ipso Hippocrate, aër montanus, exercitia immodica, sessio in parte anteriore rhedae velociter actae, motus inconsuetus, et rapidus, chorea, saltus, navigatio, corporis totius, vel capitis ex uno latere celeriter in aliud conversio, conspectio plurium simul objectorum, in modos diversos, speciatim in circulum motorum, adspectus proximi alicujus periculi uti in illis qui ex loco elato praecipitium aliquod inspiciunt, rerum ingratarum sub oculis praesentia, imaginatio

4407

nimis fervida, meditationes profundae, diuturnae, studia protracta, vigiliae animi pathemata, in primis ira et metus, ebrietas, strepitantior musicorum instrumentorum sonus, subitaneus ex loco obscuro in clariorem transitus, vel lucis valde intensae longior conspectus, odores fortes, vel ob specialem idiosyncrasiam contrarii, fumus carbonum, calcis, nicotianae tabacci, venena narcotica, in primis lolium temulentum, opium, hyosciamus, stramonium, digitalis, cicuta, aconitum napellum, atropa belladonna, acidum hydrocyanicum, aqua cohobata laurocerasi, cerevisia valde lupulata, coffea, galvanismus, electricitas atmosphaerica, et similia.

Caussae excitantes vertiginis symptomaticae.

Innumerae quasi habentur caussae, quibus vertigo symptomatica progigni potest: plerisque enim in morbis, cujusvis fere organismi partis, cerebrum per consensum plus minusve patitur. Omnium tamen frequentissima latet in ventriculo, tanquam organo summe sensili, nervisque ditissimo; quare vertiginem suboriri conspicimus post errores in diaeta commissos, ingluviem, usum ciborum flatulentium, aut etiam post inediam, et longum jejunium sicut *Frank*, *Burserius*, *Platerus*, ipseque *Hippocrates* observarunt, quorum postremus haec habet = *Si quis prandere cousuetus, atque cui prandere*

Digitized by Google

conducat, non prandeat, protinus, ubi tempus praeteriit, gravis impotentia exoritur, tremor, tenebricosa vertigo = Vertigini ortum aeque praebent gastricae saburrae, praesertim biliosae, flatus, vermes, substantiae acidae monente *Whytt*, aquae thermales sicuti *Sebjz us* testatur, vinum adulteratum, sulphuratum, alvi segnities, drasticorum abusus, purgatio violenta, lactatio protracta, onania, rapida seri per paracentesim eductio, praeceps puris jactura, abusus venaesectionum, haemorrhagiae, in primis parturientium, keneangeja, adynamia convalescentium a morbo graviore, et diuturno, haemorrhoidum, menstruorum, epistaxeos suppressio, diarrhoea de repente evanida, herpes reconditum, impetigo habitualis, fonticuli, ulcera chronica incaute sanata, axillarum sudores suppressi, pedum refrigeratio, graviditas, nimia pinguedo, passiones hypochondriacae et hystericae, febres malignae, typhus, pestis, vomitus cruentus, arthritis, podagra, plica, melancholia, epilepsia, et multiplices alii morbi, quos vertigo mox comitatur, mox praecedit, quorumve enumeratio, ob sermonem nimis in longum productum, taedio lectores afficeret.

Caussa proxima et morbi sedes.

Plura in veterum medicorum libris perleguntur de proxima vertiginis caussa, quae ta-

472

men nostris temporibus omnimode refutari debent. Antiquissima fuit opinio de vaporibus, et spiritibus flatuosis versus caput ex ventris cavo adscendentibus; cum reapse talis plerumque sit causa, quam hystericae accusant, dum vertigine corripiuntur: ejusmodi ideam primus habuisse videtur *Theophrastus* ex schola peripatheticorum. *Galenus* quoque hanc caussam quaesivit in spirituum animalium motu inordinato: *Juncker* cum nervosa symptomata meningibus derivare statuat, atque motus et sensus a membranarum et nervorum tensione deducat, ab hac ipsa tensione, sed spasmodica, vertiginis originem explicat. Praedictam caussam posuerunt: *Petraeus* in sanguine nigram quandam fuliginem ad obnubilandos spiritus efficacem secum vehente: *Piso* in humore bilioso aut in ventriculo aut alio in viscere ebulliente, ac caput allidente: *Darwin* in defectu virium corpus humanum perpendiculariter sustinentium, ex motibus in consuetis orto: *Boerhaave* et *Wanswieten* in cerebri compressione: *Hoffmann* et *Sauvages* in sanguinis motu retrogrado in retina, in auribus et tactus organo: *Herz* in rapida nimis successione impressionum in sensus et animam; ubi enim repentino modo in sensibus una imprimitur sensatio, dum altera nondum in sensorio extincta sit, tunc necessario confusio nascitur, rotatio, et vertigo.

Burserius quamvis vertiginis proximam caus-

Digitized by Google

sam indubie haud designet, probabile tamen habet in hujusmodi affectione, modo lentem crystallinam obliquam reddi, inclinari, inaequaliter commoveri, modo bulbum oculi ob musculorum spasmum figura et positu mutari, modo retinam, nervum opticum, cerebrum ipsum, nervosque auditui, tactui, motuique inservientes ita affici, uti in spasticis convulsivisque morbis patiuntur ob analogiam vertiginis cum nervosis et convulsivis affectibus. Prof. *Corneliani* in suis Pathologiae Generalis Institutionibus de visus vertigine loquens, concludit *motus quosdam vibrantes, in retinae fibrillis, sive mechanico modo, sive dynamico excitatos, visus vertigini subesse; his enim fit ut quae in retina delineantur, rerum imagines in motum agantur, qui a mente ad corpora deinde externa transfertur.* Candide tamen fateamur oportet cum *Petro Frank* vera morbosa conditio, a qua vertigo progignitur medicis adhuc latet.

Multum aeque disceptatum est de morbi sede specialiore. Hanc visionis organis inhaerere nonnulli crediderunt: cum tamen homines oculis clausis, vel caecitate laborantes vertiginem patiantur, cumque nec semper in vertigine oculi afficiantur, nec ubi et ipsi laeduntur, soli laborent, sed cerebrum quoque reliqui sensus, aliaeque partes perturbentur, illius opinionis fallacia clare patet. Symptomata vertiginem concomitantia eam cerebrale affectum esse testari

q72

videntur, quod etiam eo magis confirmant vitia complura ex anatome in cranio illorum reperta, qui vertigini obnoxii fuerant: reticendum tamen non est multorum etiam in cerebro, licet vertigo idiopathica fuerit, nil morbosi sub sensibus cecidisse; sed hoc in aliis etiam morbis, et organis diversis contingere, haud rarum est. Cum vero facultates intellectuales vertiginosi nonnisi raro amittant inferendum est, quod talis encephali pars laedatur, quae praedictis facultatibus minus inserviat: hac consideratione ducti vertiginis caussam circa corpora quadrigemina extare nonnulli ex neotericis docuerunt: adeoque magis cum ex illis proficiscantur ipsi nervi optici: nihilominus et quaenam cerebri pars per eminentiam afficiatur, et qualis sit morbosus hujus visceris status, ut plurimum transitorius, primarie aut secundarie evolutus, quo vertigo inducitur, apodictica certitudine nondum explanatum est.

Terminationes = Prognosis.

Vertigo a medicis nonnullis pro morbo nullius momenti habetur, quasi in salutem constanter abiret, et reapse plerisque in casibus hoc symptoma nequidem morbosum evadit (1).

(1) *Petrus Frank, curandis hominum morbis Epitome.*

Digitized by Google

Ut signum autem in morbis optime a *Galeno*, *Sydenhamio*, *Lieutaudio*, et *Vogelio* vertigo interpretatur. Attamen saepe saepius discrimine plena evadit, cum in nevroses diversas haud raro terminetur, in melancholiam, furorem, maniam, cephaleam chronicam, syncopem, epilepsiam, apoplexiam, quarum culpa mortem ipsam haud infrequenter progignit. *Hippocrates* jam vertiginis periculum cognovisse demonstrat, ubi ait « *quoscumque una cum doloribus* (*capitis*) *vertigines corripiunt, malum aegre exsolubile ac furiosum existit* ». Quamobrem in prognosi statuenda diverso morbi gradui ad caussarum naturae respiciendum est: vertigo tenebricosa et caduca periculosior est quam simplex, itemque idiopathica, quam symptomatica: gravis enim et idiopathica vertigo in juvenibus epilepsiam, in aetate provectis apoplexiam facile inducit. Ubi caussa accidentalis et transitoria sit, talis quoque evadit vertigo ac periculo expers, dummodo saltem aeger non sit in syncopem, aut apoplexiam valde pronus: magis metuenda est vertigo inveterata, pluries recidiva, organico quodam vitio sustenta. Vertigo symptomatica plus minusve periculosa fit pro diversa morbi indole ex qua dependet. Vertigines ab habituali quadam impetigine ex siccata vel a retentis consuetis evacuationibus prodeuntes perfecte evanescere solent sub nova impetiginis, et suppressi fluxus apparitione. Vertigo ex gra-

474

viditate, illico a partu cessat: vertigines inflammatoria, gastrica, simpliciter nervosa, hypochondriaca, hysterica minus timendae quam reliquae species, praesertim si transitoriae sint. Vertigo arthritica saepe aliis comparentibus morbis, in primis cutaneis, evanescit. Pariter capitis dolor vertigini superveniens interdum eam solvit: infaustior e contra fit vertigo si dolori capitis ipsa successerit: pessima etiam sunt vertigines complicatae cum aliis morbis; quando porro inter initia morborum vertigo insurgit, saepe aut epistaxin, aut vomitum praemonstrat (1). Sub haemorrhagiis, imprimis uteri, vehementibus, primum imminentis syncopis, aut mortis ipsius, symptoma vertigo est (2). Demum reticendum haud venit vertiginem ex industria productam alios interdum morbos profligare.

Autopsia cadaverum.

In cadaveribus illorum, qui vertigini obnoxii fuerant, *Wepfer*, *Bonet*, *Morgen* reperierunt seri effusiones in cavitate cranii, *Bonet* ipse hydatides, *Scultetus* abscessus cerebri, *Pla-*

(1) *Burserius.* = *Institutiones Medicinae Practicae.*

(1) *Petrus Frank.* = *De curandis hominum morbis Epitome.*

Digitized by Google

ter vasa encephali angustata, ossificata, *Boerhaave* pleraque hepatis vitia, *Moebius* alterationibus in renibus. *Joseph Frank* refert plures novisse homines diu vertigine vexatos, dein morbis hepatis et cystidis fellaee demortuos.

Frank Petrus dum fatetur in variis vertiginosorum cadaveribus, praecipuae ad plexus choroideos, vel ad ventriculum cerebri tertium, nunc hydatides, nunc serum, nunc sanguinem, nunc vero abscessum aut saniem, sub oculis venisse, admonet tamen quod mnltorum etiam in cerebro, etsi vertigo idiopathica fuerit, sicut post apoplexiam nervosam, nihil morbosi, quod in sensus ceciderit, detexit culter anatomicus.

Therapia.

Diversa a medicis instituta est vertiginis therapia prouti diversam, quam de proxima ejus caussa habuerunt, opinionem. Hinc veteres cum ideam sibi effinxerint de vaporibus et spiritubus flatuosis versus caput ex ventris cavo adscendentibus, flatuosos eosdem spiritus per pharmaca sternutatoria naribus excutere conabantur, quorum sub actione quantum cerebrum pati debuerit neminem latet; adeoque magis cum in vertiginosis viscus hoc, nisi idiopathico, symptomatico saltem modo, plus minusve male constanter afficiatur. Quaedam etiam remedia ab antiquis quasi *specifica* commendata inveni-

Digitized by Google

mus, inter quae censeri praesertim solent stercus pavonis albi siccus ad scrupulum, cujus usum ipse *Sauvages* suadet, et radix Valerianae sylvestris.

Ut tamen rationalis curationis methodus suscipiatur, vertiginis ipsius indolis, caussarum naturae, subjecti constitutionis respectus est habendus: et in primis attendendum est utrum idiopathica, vel symptomatica vertigo sit, ex locali vel e totius systematis vitio enata. Auxilia porro diversa in usum ducere praestat sub ipso morbi accessu, et illo jam evanido. Aegrotus, qui vertigini jam tentatur, lecto jacere debet sed capite altius collocato, et in cubiculo obscuro potius amplo, cujus aër purus ac temperatus sit: vestes omnes nimis arctae quae circuli libertati obsistunt, illico auferendae sunt; alvum clysmatibus sollicitare juvat: maxima corporis animique quies servari debet. Solent etiam proficere pediluvia tepida, irritantia, vel rudes pedum fricationes pannorum calefactorum ope. Sunt qui odoramenta laudant, quique omnino reprobant: ipsa plerumque nocent in vertigine idiopathica, inflammatoria, homines robustos, sanguineo temperamento instructos afficiente, siquidem stimulum sistant specificum pro organo olfactus, ideoque nervos excitent, majoremque ad caput inducant sanguinis affluxum: quare in hac vertiginis specie ab odoramentis abstinendum est, vel saltem nonnisi post adhibitam

antiphlogisticam methodum usurpari debent, ea praesertim seligendo quae magis oxygenata sunt, unde prae aliis convenit acetum. In vertigine e contra nervosa adynamica, in illa hypochondriacis et hystericis propria, etiam ab initio cum levamine odoramenta adhiberi solent. Nonnulli, quos inter ipse *Petrus Frank*, suadent ut, nisi alia obstent, ligaturae aut fasciae quae sanguinis raptum ad caput imminuant, artubus moderate injiciantur: quod tamen remedium summe anceps existimamus, nonnisi omni prudentia adhibendum, quum, sanguinem versus majora urgendo vasa, funestorum effectuum culpam gerere possit.

Relate ad curam extra accessionem morbi instituendam si vertigo transitoria ac momentanea sit, nil, praeter regimen diaeteticum, atque alvi libertatem quae generatim omnibus vertigine correptis bene conducit, requiritur: dummodo saltem illius recidiva metuenda haud sit, quo in casu caussam diligenter investigare, eamve, si fieri possit, auferre, opus est.

Vertigo idiopathica, permanens, indolis inflammatoriae, apud subjecta robusta, spirituosis facile indulgentia, ex habitualium evacuationum suppressione praesertim suborta, medelam postulat antiphlogisticam, morbi gradui et sedi accomodatam; venae sectionem juxta praecepta *Josephi Frank* e pede potius instituendam, atque parvam et repetitam ne sub magna sanguinis de-

478

tractione serosa quaedam effusio in cranii cavo contingat: hyrudines retro aures, temporibus, occipiti, vel in haemorrhoidariis et amenorrhoicis ano applicitas: scarificationes cucurbitularum ope ad nucham vel intra scapulas: fomentationes capitis ex aqua gelida et aceto, vel ex frigido balneo Schmuckeri: pediluvia tepida, sinapisata; potiones refrigerantes uti ex limonea vegetabili nitrata, vel ex decocto hordei cum nitro et oxymelle simplici: modicam alvi solutionem per eccoprotica, calomelanum, clysteres laxantes. In vertigine originis *traumaticae* eadem utendum est medendi methodo ac in reliquis cerebri affectionibus ab externis violentiis inductis.

Eadem methodus antiphlogistica opponitur vertigini *rheumaticae*, in qua valde etiam proficiunt leniora diaphoretica, ex antiphlogisticis aeque deprompta, uti sunt infusa florum verbasci, sambuci, tiliae cum nitro, vel acetate ammoniae, nec non vesicatoria ad nucham vel inter scapulas adplicita.

In vertigine *arthritica*, praeter deprimentia et leniter sudorifera, commendantur ulcera artificialia ad nucham, guajacum, remedia amara solventia, thermae nonnullae. Monendum tamen hic est, quod vertigo a rheumate, arthritide, herpete ex aliis partibus ad cerebrum conversis, suborta, saepe saepius nulla medendi methodo devinci possit, nisi redeat arthritis ad pristinum

Digitized by Google

locum, vel habitualis impetigo in cute adhuc prorumpat.

Vertigo *scorbutica*, cum antiscorbuticis, *venerea* cum antisyphiliticis, *mercurialis* cum sulphure potissimum fugantur.

Ubi suspicio habeatur de incipiente, vel jam enata in cerebro serosa effusione, praeter vesicantia, setacea, fonticulos, parvae ac crebro repetitae calomelanos laevigati doses, optime conducere solent. *Quercetanus* et *Wedel cinnabarina* quoque multum profuisse testantur.

Vertigo *gastrica* e saburris primarum viarum symptomatice inducta numquam fere emetici usum concedit, sed tutius conducunt remedia purgantia ore assumpta, vel clysteribus injecta. Hic vero reticendum haud est, quod non raro latens in cerebro inflammatoria dispositio, aut spasmodica vertiginis indoles, nauseam et vomitum, ob ventriculi cum cerebro consensum, gignunt, quo in casu emetica, vel medicamenta alvum nimis evacuantia malum augerent. Vertigo ab aciditatibus ventriculi, a flatibus intestinorum, a vermibus, ab infarctu viscerum abdominalium requirit medelam hisce affectionibus accommodatam.

In vertigine ex ventriculi languore *Petrus Frank* commendat *amara* potissime, ab initio tamen minus saturata, uti decoctum ligni quassiae, in quo, adhuc fervido, calami aromatici radix infusa fuerit. *Baccas albas piperis nigri*,

480

stomacho jejuno ingestas laudat *Fr. Hoffmann.* Requiritur porro victus nutriens et eupeptus unde jam ipse *Plater* decenter comedere mane mature, et ad horas somni suadebat.

Vertigo *nervosa,* apud hypochondriacos et hystericas communis blandiorem deposcit medendi rationem, cumque ut plurimum *adynamica* sit proficere solent aetheres, oleum cajeput, succinas ammoniae, moschus, camphora, castoreum, assa foetida, valeriana, quassia amara, cinchonacea, martialia, nutrientia, clysteres antispasmodici. Si menstruorum ex atonia retentio malum pervicacius redeat, extractum myrrhae aquosum, aloës, crocus, salvia officinalis, camphora, castoreum laudari merentur. Quaedam etiam externa praesidia in usum ducere praestat, uti odoramenta, frictiones frontis, temporum cum tinctura opii, aethere sulphurico, oleo cajeput, balsamo vitae *Hoffmanni,* et similia. Si tamen interno calore aegrotantes afficiantur, atque morbosam offerant vasorum irritabilitatem, si facies ardeat, tunc embrocatio capitis frigida suaderi debet: sub hac rerum conditione elixir acidum *Halleri,* grato syrupo et aquae frigidae commixtum summos effectus praestitit Clar. *Petro Frank.* Rebelli in morbo electricitas, galvanismus, magnetismus animalis, caute tentari possunt.

In vertigine a motu rhedae, aut navis laudibus extollit *Gorterius* paregorica, et acida mi-

Digitized by Google

tiora, theriacam, vinum cum succo mali citrei aut medici, et pauxillo syrupi diacodion (1). Alii vinum cum aqua marina navigantibus porrigunt, qui motui navis inassueti vertigine corripiuntur.

Est etiam regiminis diaetetici maxima ratio habenda: atque illud caussis morbificis emendandis idoneum sit, valdopere refert. Alvus modice soluta servari debet: necessarium corporis exercitium haud negligendum: animi quies sedulo curanda: calvi capillitium artificiale adhibeant. In subjectis plethoricis, fluxu quondam habituali destitutis, hyrudines periodice ad caput applicitae vertiginis recidivam saepius avertere valent.

FINIS.

(1) *Dissert. de vertig.* § *XXXIV*.

-1-52

THESES DEFENDENDAE.



I.

In epilepsia nullum datur remedium specificum.

II.

Scintilla electrica impartita sub levibus concussionibus validum sistit stimulans.

III.

Homines, sic dicti cretini, in profundis vallibus Vallesis frequentiores alio quam in loco reperiuntur.

IV.

Objectorum imagines in retinam minime pinguntur inversae.

V.

Pathemata animi deprimentia sub aliquibus circumstantiis ad morbos contagiosos predisponunt.

VI.

Verminatio frequentius agrorum incolas, quam oppidanos, afficit.

VII.

Ex physiognomia hominis temperamentum nosci potest.

VIII.

Optima effecta in organismo humano Musices gignit.

IX.

Cortex peruvianus opio conjunctus in febribus intermittentibus perniciosis valdopere praestat.

5835086

Digitized by Google

Digitized by Google

4x4

Digitized by Google